



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Piscatores.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

rum *aucupis* apud posteros habeat, quàm *magni Venatoris*. Quia aucupia ab illo Imperatore, etiam dum fasces imperii ei deferebantur, usurpata fiunt sine damno incolarum. In variis ditionibus cum magno strepitu canum adlatrantium & cornuum Venatoriorum inflatione vagantur spectra Venatorum sine dubio ob magna agricolis illata damna. Non est laus, quòd Gen. 10. v. 9. dicatur Nemrod *robustus curam Domino Venator*, quia omnes boni & mali sunt coram Deo sive in præsentia Dei ubique existentis. Nec ipse, nec Esau *vir gnarus venandi*. Gen. 25. computantur inter filios Dei. Imò S. Ambrosius in Ps. 118. audet dicere: *Nullum invenimus divinarum in serie Scripturarum de Venatoribus justum*. SS. Eustachius, Hubertus, dum Venatores erant, necdum fuere justi. Et si ex post venatione se exercuerunt, ea nemini nociva nec statum suum dedecenserat, & his duabus conditionibus convestita venatio reprehendi non potest, sed laudabiliter ex fine honesto etiam ob sanitatem & corporis exercitationem assumi ab illis, quibus ratione statûs sui convenit. Ferdinandus II. Imperator sæpè ab aliis in interiora sylvarum recedens coram appensa in arbore icone B. V. preces suas persolvebat.

*Piscatores.*

*Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum.* Marc. 1. *Illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.* Math. 4. *Per totam noctem*

*Item laborantes nihil cepimus.* [ Talis indolis sunt omnia opera in statu peccati mortalis facta ] *In verbo autem tuo laxabo rete.* Matth. 5. Id observet prudens operarius. *Vado piscari, venimus & nos tecum.* Joan. 21. Indulget Deus, ut qui omnia amore ipsius deseruerunt, redeant ad pristina ( in se non mala, nec ad peccatum inducentia ) propter necessitatem, utilitatem, imò & honestam recreationem. *Mittite ad dextram navigii rete, jam non valebant illud trahere pro multitudine piscium.* Joan. 21. Ad dextram mittit rete Operarius vel Missionarius, qui secundum institutum voluntatem Superiorum, & non ex proprio critirio, sinistrâ sensuali intentione agit cum proximo. Conclusi pisces reti ad dextram jacto, & ad littus attracti symbolum sunt fidelium in mari hujus mundi reti veræ Ecclesiæ, ordinis religiosi inclusorum, & ad littus felicitis æternitatis appellentium. Vide, ne tuâ culpâ rete rumpens in mare præcipiteris. *Simile est regnum calorum sagena missa in mari.* Matth. 13. Sagena quilibet status vel congregatio est; cui boni & mali in mari mundi hujus à Deo includuntur; & sensim ad littus æternitatis trahuntur. Ubi eligentur boni in vasa, cælum. *Mali autem foras mittentur, id est, in exterminium.*

*Pastores.*

*Super Peccatores iratus est furor meus* [ *Curatores animarum* ] *& super hircos* ( *Peccatores* )